

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

ICTERO ALBO  
VIRGINUM,

QUAM

SUB

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMI CELSISSIMIQUE PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. LUDOVICI,

DUCCIS WIRTEMBERGIAE AC TECCIAE,  
COMITIS MONTISBELGARDIAE,  
DYNASTAE IN HEIDENHEIM, &c.

FUSSU

GRATIOSI COLLEGII MEDICI TUBINGENSIS,  
PRÆSIDE,

DN. GEORG - BALTHASARE METZ-  
GERO, Med. Doct. & PP. Celeberrimo, Domino  
Patrono, Promotore & Hospite maxime  
colendo,

Pro LICENTIA

LAUREÆ DOCTORALIS PRIVILEGIA  
PROMERENDI,

Ad Diem Septembris, ANNI JUBILAEI, 1677.

Publico Examine sistit

JOANN. JACOBUS Kleinfnecht/ ULMENSIS.

TUBINGÆ, LITERIS HEINIANIS.

Med. spec.

50.63,28

Nov. pro 865

DISPUTATIO MEDICA

IN REBUS...

# ICTERUS ALBUS VIRGINIUM

1704

AVTORIS NOMEN...

DAVID BOVICI

PHYSICUS...

1704

AVTORIS NOMEN...

DN. GEORG. BALTHASARE METZ-

GERO. MED. BOV. V. P. COLONIENSIS, DOCTORIS

PHYSICUS...

1704

AVTORIS NOMEN...

JACOBUS DOCTORIS PRIVILEGIATUS


PHYSICUS...

AVTORIS NOMEN...

AVTORIS NOMEN...

JOHANN. JACOBUS REINHOLDUS...

AVTORIS NOMEN...



C. D.

PROOEMIUM.

**M**isereri digna est foeminei sexus conditio; quod praeter tot tantosque morbos cum viris communes suo etiam generi proprios, imò omnem morbum bis patiatur. Et hoc praecipuè ratione uteri; qui uti peculiarem juxta *Helmontium* habet monarchiam, ita & morbos; hunc mulieres intestinum sanitatis hostem in sinu fovent, qui ceu Poetae Pandora e pyxide ab Epimetheo delecta exitiosam malorum lernam emittit, unde multis & incomprehensibilibus ferè afflictionibus miserrimæ premuntur: admiranda etiam corporis pars est uterus, cum omnibus aliis per peculiare suum blas consensum habens, & gravis Democriti calculo calamitas, sexcentarumque ærumnarum author. Placet ex omnibus in praesenti unicum illum affectum, qui illabatas potissimum castæque Deæ adhuc litantes virgines affligere, earundemque amabilem formam in foeditatem crudelissimis satellitibus stipatam transferre solet, ICTERUM scil. VIRGINUM ALBUM, seu CHLOROSIN, uti vocant, sub incudem vocare, ejusque naturam, quantum quidem licebit, plenius rimari & describere. Faxit Deus, ut omnia benè hîc agantur, & ad foeminei sexus salutem feliciter dirigantur.

THESIS I.

**N**ominum, quæ τῶν ὄντων νοήματα dicuntur, primò quidem ratio esset habenda; quoniam verò ea, quæ ἀνο-

μαλολογίαν affectus hujus respiciunt, fusius à pluribus, præprimis Sennerto l. 4. pr. p. 2. s. 3. c. 2. Roder. à Castro l. 2. c. 5. Guil. Ballonio l. de fœd. virg. color. Joh. Langio l. 1. ep. 21. & aliis traduntur, idcirco, ut brevitati studeam, ad ipsam περιγραφολογίαν me statim accingo, & præsentis affectus sequentem descriptionem adorno:

II. Est color cutis universi corporis muliebris, imprimis faciei, p.n. fœdus & ex livido viridescens, variorum symptomatum satellitiò stipatus, crudos humores, ob viscerum primæ & secundæ coctioni famulantium vitium, præcipuè autem denegatum tributi lunaris ab utero debitum, collectos sequens.

III. Subiectum Symptomatis hujus universi corporis cutim arguo, cujus vividus & natus color in lividum & ex pallido quasi viridescentem abit. Cutem autem intelligo non modo, quæ exteriorem corporis habitum tegit & investit, sed & musculorum & viscerum interiorum velaméta suspecta habeo: in partibus enim etiam non conspicuis, in corporis profundo, similes iis qui in cute consistunt, affectus gigni ratione non caret: neq; enim intima illa corporis adamantis constitutionem obtinent, sed ea quoque iisdem affectibus obnoxia sunt, ipsò fatente Galenò de atra bile c. 5. cum æquè facile eò, quò ad exteriora, symptomatis hujus causa deferri ruereque possit: ita hepar pallidum Harveius de generatione animal. exerc. 41. observavit. Evidens tamen magis hic coloris à naturali recessus in facie, delicatularum præsertim & pulchriorum, molliori & laxiori cutis conopœo gaudentium, comparet, ubi ob propriam magisque aptam hujus dispositionem pulchritudinis aliàs notæ magis radiare solent, quæ in reliquo corporis habitu non æquè manifestæ sunt, cum naturaliter ferè palleat. Notanter autem addidi, corporis muliebris; ut ut enim idem subinde in nobiliori sexu color p.n. deprehendatur, cachexiam tamen quamcunque veriùs, quàm hunc affectum, dixeris, qui denegatum tributi lunaris debitum sequitur, & ab hoc adeò dependet, ut hujus vel nullam vel exiguam ap. Veteres mentionem reperiamus, quod sub mensium suppressione hunc complexi sint, autore Jas. Primerosiò l. 3. de morb. m. c. 4. Subjectum causarum sunt viscera coctionibus famulantia, præcipuè verò uterus lunare vectigal non decenter solvens.

IV. Cau.

I V. Causam proximam crudos humores cuti substratos subinnui. Talis enim, iterum Galenô teste, è cute resplendet color, qualis sub cute latitat humor. Crudi humores hi communiter pituitosi, serosi aliis, recentioribus acidi audiunt; secundum hos enim pituita nil aliud dicit quàm crudum chylum à sero acido intra vasa, extra hæc in intestinis ab acido p. n. ex fermentatione succi pancreatici & biliosi vitiosa orto coagulatum: nec incongruè fortè tartarum cum Paracelso dicere posses. Nimirum  $\circ\circ$  sæ, sulphuræ, & balsamicæ sanguinis particulæ hîc subjugantur, serosæ, acidæ, aut, Veterum verbo, pituitosæ dominio potiuntur, unde flamma vitalis debilitatur & quasi obruitur, viscera infarciuntur, prædominantes post particulæ subter cutem effusæ inibique stagnantes hanc pro coloris suis varietate & alteratione variè tingunt pinguntque.

V. Ad hos autem humores in sanguine cumulandos proximè faciunt viscera primæ & secundæ coctioni destinata omnia, dum suo non rectè funguntur officio, sive propriâ culpâ s. per errorem externum, locoque boni & alibilis succi impurum, multisque serosis, sylvestribus  $\ominus$ inis & tartareis scoriis tinctum chylum & sanguinem substituunt. Operosus imprimis hîc est ventriculus, qui debili fermento, vel nimis acido fixo laborat, unde alimenta non ritè fermentantur, sed ex defectu volatilisationis in massam viscidam, tenacem, sæpe acidam, degenerant, unde crusta intestinorum pituitosa non modo augetur plus debito, viæ mesentericæ obstruuntur, sed & id quod infunditur sanguini, ut debitè assimiletur, ineptum est; hinc obruuntur activa sanguinis principia, acidæque particulæ fluorem adeptæ exaltantur, volatiles sulphuræ & balsamicæ deprimuntur, sanguis spissescit, obque diminutam fermentationem justo tardius circulatur, causaque ita obstructionum variarum fit. In intestinis succi item pancreatici & biliosi variæ corruptelæ & defectus huic fonti efficaciter aquam subministrant: ab his enim cremor ventriculum deferens omni aciditate spoliari, & in  $\ominus$ um tertium mutari debet; hoc ubi negligitur, acor vitiosus primæ digestionis residuus ad sanguinem tanquam peregrinus hospes fertur, & exitiosus nimis febres,

tormina, nauseas post se trahit, & si pergit ad tertiam coctionem, sequuntur obstructions, dolores hypogastrici, cachexia, hydropes, quia omne acidum extra ventriculum venis inimicum secundum *Helmontium l. retenta* inscripto. nec cor, nec ullum viscus aliud his erroribus mederi valet; vitium enim, secundum tritum, commissum in prima coctione, non corrigitur in secunda, nedum in tertia. Conspirat lien, si necessariam ad defecationem sanguini alterationem non imprimit; hepar, pancreas, renes, sibi debita sanguinis recrementa decenter non segregant & emungunt, unde crudis scatens sordibus sanguis in omnes partes distribuitur, vias inviscat, corpusque vitiosam dispositionem induit. Omnium tamen maximè & principaliter uterum seditionum harum autorem cum *Hippocrate lib. αει παρθεναίων* crediderim, cujus culpa vitiosa hæc sanguinis sentina debito modo & tempore non expurgatur, sed, ademptâ hæc naturali evacuationis viâ, aliam quærit, & hinc inde ruens ipsa viscera denique obruit & cutem, intus obstructions, extus peregrinos hos colores cum varia aliorum symptomatum congerie cudit: menstruus namque cruor circa vasa uteri stagnans sigillo vitalis archæi juxta *Helmontium* privatur, vim fermentalem hostilesque acerbitates nanciscitur, quas tanquam peregrinos hospites in totam massam sanguineam deinceps transmittit, indeque ventriculo aliisque visceribus vitia talia imprimit.

VI. Juvant remotiores causæ, & quidem è *naturalibus* temperamentum fœmineo plerumque generi proprium frigidum & humidum, seu pituitosum dictum, ubi sulphureæ particulae in sanguine sub serofarum sunt dominio & jugo. Ætas in primo pubertatis limine constituta, quo menses primum prorupturi ob insuetum hæctenus fluxum vias nondum satis expeditas nec patulas statim portas inveniunt, unde regurgitant, impetum in viscera partesque alias sumunt, obstructioni, corruptioni, & sexcentis hinc symptomatibus variam ansam præbituri. Ex *non-naturalibus* aër justo frigidior & humidior, pluviosus, nimis acidus, marinus, nivofus, cujus fortè gratiâ nonnullis secundum *Varandæum* endemius quasi

quasi putatur, cumulando huic feri coagulo in corpore aptif-  
 simus extra & intra admissus. Cibus quantitate & qualitate  
 nocivus; vitium hoc sequioris sexus quasi connatum est, ut gu-  
 læ blandiantur & obsequantur: vel enim plus ingerunt quàm  
 digerunt, aut egerunt, vel pessimis & mali succi cibus dele-  
 ctantur. Obsunt panis azymus, omnia facilè acescentia,  
 coagulabilia, crassiori & aquoso succo prædita, legumina, o-  
 leracea, cucumeres, pepones, melones, mespila, castaneæ,  
 carnes viscidâ humiditate scatentes, muriâ conditæ, fumô in-  
 duratæ, lac & lacticia apud *Gorhofr. Mœbium l. 4. instit. p.*  
*2. cap. 1.* triticum crudum, creta, calx, &c. ad quæ nonnun-  
 quam pallidioris coloris æmulæ in internecionem rubicundi,  
 quem rusticum credunt, virgines aut picâ laborantes aliæ suâ  
 se sponte invitant, crassumq; ita & deoppilandis vasis ido-  
 neum succum generant. *Rondeletius* Zingiber nimia ingestum  
 quantitate suspectum etiam facit, quod idem de aliorum ca-  
 lidiorum abusu judicandum videtur: huc trahi etiam possunt  
 saccharata, mellita omnia, quæ acido, quo gaudent, occulto  
 lædunt. Quà potum, nocent omnia actu frigida, affatim  
 præsertim admissa, aqua frigida communis, è nive, glacie,  
 parata; non enim ventriculum & intestina & lacteas venas  
 tantum potenter refrigerant, contentaque in his incrustant &  
 coagulant, secundum *Sylvium l. 1. pr. m. c. 17.* sed & sangui-  
 nis effervescentiam & motum impedire norunt; pariter a-  
 cetum, acida alia vasorum oscula contrahunt, sanguinem-  
 que in motu sistunt: nec sine ratione nonnulli spiritum vini  
 damnant; intemperanter enim haustus volatili suo & oleoso  
 alkali acidum ventriculi infringit & destruit, quo destructo,  
 exaltato contra alkali acri, sitis magis urget, & stomachus  
 cum Cerere divortium facit, & Bacchum amat, à quo reli-  
 ctum debile acidum plenius diluitur, abluiturque, subque  
 debili coctione cruda omnia & aquosa relinquuntur. Mo-  
 tus & quies suam pariter operam non detrectant, si excessiva  
 sint: in illorum censu sunt choreæ post pastum aut aliàs in-  
 tempestivè susceptæ; sic enim viscerum robur evertitur, co-  
 ctio subvertitur, crudisque chylus & sanguis humoribus fa-  
 cile acescentibus saginantur. Ad alterum vita sedentaria  
 perti-

pertinet, quando graviorum pertæsa laborum puellæ plumulis affixæ, nendo, fila trahendo &c. patentes huic malo fores aperiunt: non enim ventilatur satis sanguis, nec in motu naturali conservatur: otium juxta *Celsum* corpus hebetat, labor firmat. Idem à somno & vigiliis modum excedentibus metuendum. Excreta & retenta, si recte se non habent, morbosum virus hoc evomere possunt, quod vel unica mensium testatur obstructio: eadem patrant consueta sanguinis imminutiones aliæ, semen sive ova muliebria juxta diutius retenta & venenatam in naturam degenerantia. Nec ablu dit hoc à scopo larga nimis horum profusio, sanguinem depascendo, flammam vitalem debilitando, facultates omnes infirmando &c. Animi tandem pathemata quæ & quanta possint in sanguinem & spiritus movendo & concentrando, quotidiana loquitur experientia. Ex amore innumeras hoc malo correptas testatur *Panarolus pentecost. 3 obs. 14.* Veneris præsertim desiderium longa sique inducias fervens juvenularum sanguis ægre fert, hisque & gravioribus symptomatibus aliis sæpe numero compensat: exempla prostant apud *Joh. Langium l. 1. ep. 21. Guil. Ballonium de virg. morb. Harveium l. 2. exerc. 5. & de partu.* Mæror, terror subitaneus &c. ut mensibus pessimum de facili obdere possunt, exemplò Phaëtusæ & Namysæ ex mærore ob maritorum desiderium *6. ep. 8. t. 55. & 56.* (quod etiam virgini menstrua patienti, dum humi improvisò prostermeretur, veritæ, ne naturalia detexisset, præ pudore accidit apud *Ballonium l. 2. epid.*) quis huic etiam symptomati viam sternere posse inficiabitur? Ex *p. n.* viscerum supra accusatorum dyscrasia præcipuè frigida, viarum seu vaporum præprimis uteri *p. n.* angustia sive nativò vitiò facta, vel ascititia ab humorum copia & infarctu nata; tumores omnis generis, unde vel generantur vel restagnant, aut ne effluant, humores impediuntur, plethora seu copia sanguinis *p. n.* quâ viscera inebriantur, frigiditas, lentor visciditas, ver bô, cacochymia pituitosa, quâ viæ inviscantur, obstruuntur, merito suo malè audiunt. Affectus hypochondriacus, scorbutus, quartana, non raro etiam præludere solent, cacochymiam & materiam obstructionum jam impendentium offe rentia.

VII. Cir-



VII. Circa *Signa diagnostica* non adeo laborandum videtur; prodeunt enim tanquam ex equo Trojano tantum non omnium morborum & symptomatum genera, malumque produnt: imprimis in genis, labiis, & tota facie, imò corpore universo, pristinae formae gratia perit, pallidò viridescente colore in locum succedente, ob sulphureas sanguinis particulas ab acidis  $\text{=}$ atas. Ad sociat tumor se praecipue palpebrarum oedematosus & inflatio, à crudis stagnantibus humoribus; non raro etiam pedes praecipuis circa malleolos intumescunt, eadem sanguinis colluvie vel sponte sua sub facili partis consensu huc declinante & stagnante noctu praesertim, ubi natura non tam in humorum dissipatione quam coctione & sequestratione occupatur. Lassitudo succedit totius corporis, viriumque languor; torpescit enim ipse sanguis sub crudis humoribus, molestaque membra streinâ premuntur. Cor ipsum, stagnante inibi effœtò cruore, palpitare, vel ad levem corporis motum, praesertim si acclivia conscendenda sunt, ad tempora arteriae pulsare incipiunt, caput dolere, mens tristari, respiratio difficilis fit, cibi fastidium, dolor ventriculi gravativus, hypochondriorum tensio, nonnunquam atrophia totius, & nescio quæ non symptomatum sequantur; horum enim ferè omnium compendium hinc quoddam videre est, de quibus legi *Hippocrates de virg. morb.* meretur; potissimum verò fluxus lunaris abolitio vel imminutio deprehenditur, unde quocumque nocivus humor ab utero retro pulsus divergit, ceu hospes ingratus hospitii jura violat, & vel ægrè vel malâ gratiâ valedicit. Urina tenuis & aquosa plerumque profluit, sanguinis, cujus ex undis venit, dispositionis index. De causis harumque subjectis Medicum signa cujuslibet propria, ægrè relatio nec non prudens  $\text{σοχασμὸς}$  erudire possunt.

VIII. Quà *prognosis*; malum quidem in se satis difficile est, & ferè chronicum, degeneratque non rarò, si altae ipsi radices permittantur, in phthisin, asthma, & pectoralia vitia alia per materiae  $\mu\epsilon\tau\acute{\alpha}\sigma\tau\iota\sigma\iota\varsigma$ , hydropi succedenti & aliis gravissimis morbis sæpe etiam fenestras aperit, per pertinaces obstructions & depravatam nutritionem: phthisi Excell. D.

B

VVe-

*Vvedelius* plerasque, hydrope *Varandæus de morb. mul.* mori observarunt: optimè si res ceciderit, sterilefcunt, ex mali diuturnitate, aut prolem parùm vitalem concipiunt: principiis tamen si obstes, eductâ cacochymiâ, referatis obstructionibus, correctis coctionibus, sanguinis motu restitutô, non infrequenter in herba facîle suffocatur, flammaque vitalis reviviscit.

IX. Circa *curationem* tria aliàs *indicantia* occurrunt, quæ Medicum quasi manu ducunt, quidque factu opus sit, monent; *curatorium*, *præservatorium* & *vitale*. *Curatorium* & quidem propriè ita dictum hîc locum non habet, cùm symptoma qualitatis mutatæ præsens affectus sit, quod nihil indicat; sed *præservatorium* causam mali externam removendam & sanguinis dyscrasiam & cruditatem corrigendam, viscerum præsertim uteri obstructions amoliendas, lunaremque fluxam revocandum monstrans: & *vitale*, quod virium & ventriculi præprimis, qui secundum *Helmontium* uteri claves, imò totius corporis regimen gerit, rationem habere jubet. In genere tamen noto, festinandum hîc lentè esse; duci enim amat natura, non pelli, plusque blandis quàm vehementibus medicamentis proficitur. Unde gravissimè errant, qui durioribus statim cuneis durum hunc nodum dissecandum putant, adeoque fortissimis hisque sæpè repetitis purgationibus aut V. sectionibus absolvendum punctum omne volunt, nullis digestivis, resolutivis, aperitivis, appropriatis &c. præmissis; sed superandum paulatim malum hoc est, armis ex triplici consueta pharetra, diætetica, chirurgica & pharmaceutica, petitis.

X. Vix autem commodius sanguinis redintegrationem restituere possumus, quàm rectâ *diatâ*, seu *6. rer. n. n.* usu, cujus erroribus ut plurimum scaturigo hujus & fomentum debetur. Aër quærat moderate calidus & siccus excedentes sanguinis cruditates consumens, unde *Varandæus* certissimâ se experienciâ compertum habere scribit, in ægristalibus curandis plus profici æstatis tempore per unam aut alteram septimanam, quàm aliis temporibus per plures menses, multasque earum adventante æstate satis commodè degere, quæ  
aliis

aliis tempestatibus graviter conflictantur; imò nonnullas, quæ loca frigidiora & humidiora incolunt, vix per sanari posse, nisi solò soleque mutatis. In cibis & potu non tam appetitui indulgeant quàm valetudini, præprimis autem exulare jubeant, quæ symbolicas cum peccantibus humoribus qualitates habent, qualium partem *thes. sup.* recensui. Panis sit bene fermentatus sem. anis. cumin. conditus, carnes vitulinæ, agninæ, gallinac. & delictiores aliæ, cum petroselinic. apio, cappar. coctæ, ova forbilia, pisces saxatiles, fructus siccati, turiones lupulorum, asparagi, commendantur. Potus sit cerevisia ex hordeo & lupulo confecta bene defecata, vel simplex vel cum herbis aperientibus & uterinis medicata, vinum Necarinum, absynthites, salviatum, aut medicata alia; quæ aquis delectantur, decocto cinamomi, coriandri, hord. cum rad. cichor. & cinam. sassaf. uti possunt: motus limites suos non egrediatur, ut flammam vitalem ventilet, fuliginibusque discussis suscitetur, potissimum verò ante & post medicamentorum martialium assumptionem corpus moveri convenit. Modus etiam in vigiliis & somno sit, cum huic præsertim addictissimæ sint ob vaporum crudorum copiam, nec protractior matutinis horis diutius indulgeatur, nisi fortè insomnem ægra noctem duxerit. Evacuationes ordinariæ debite promoveantur; virgines & viduæ juniores, si licet, nubant, si enim conceperint, sanæ evadent ipso *Coöspensore l. de virg. morb.* tutiusque ad hoc auxilium quàm ad chalybem, cauteria, aut similia, quæ corpus sauciant, absque eo quod morbus evanescat, confugiunt, judice *Panarolo pentecost. 3. obs. 14.* cui calculum suum addit *Joh. Langius l. 1. ep. 21.* Denique animi passiones moderandæ; iracundia tamen aliquando prodesse solet secundum *Varandæum l. c.* quod flammam vitalem excitet, & segniorem sanguinis motum corrigat; ex amore laborantibus melius erit legere Ovidium de remed. amor. quàm Galenum, *Panarolo iterum arbitro l. c.*

XI. Ex *Chirurgica* pharetra omnium primò offert se *V.* sectio, de qua, an conveniat hîc loci, lis inter Autores magnâ gliscit. Ne rationibus utriusque partis recensendis immer longius, vel binis, quod sentio, edisseram. Cum frigidus affectus hic sit, cacochymiam potius quàm plethoram se-

quatur, nec nisi solutis prius obstructionibus ad menses movendos comòdè V. Sectio instituatur, utiq; promiscue huic & tutò locus in omnibus, & omni tempore dari non potest, terrere-que meritò, ne sequatur, Medicum tristia ab aliis visa vestigia debent. Ex ore celebratissimi *Mæbi* p. m. *Excell. Dn. D. Praeses* refert: nobilem virginem aliquando hâc discoloratione laborantem, copioso, empirici cujusdam suasu, è brachio sanguine eductò, inter gravissima symptomata alia tantam totius corporis refrigerationem sensisse, ut sub ardente etiam Syriò frigori resistere non valuerit. Ipse in aliâ observavi post crebriorem sanguinis extractionem, ne guttulam ferè amplius sanguinis effluxisse, sed materiam merè aquosam, pituitosam, albicantem, quàm paulò post vitæ etiam finis secutus fuit. Non ergò temerè V. secanda, nisi omnibus prius tentatis & exploratis bene. Locum tamen habere posse in principio crediderim, ubi ob copiam etiam aliquam, non solam cacochymiam, restagnat, aut etiam in fine sanguinis correctione jam facta, obstructionibusque viarum expeditis; ita enim mensibus appropinquantibus manum auxiliatricem porrigimus; ut ut nec hunc in scopum absolutè necessariam V. S. dixerim, menstruusque non rarò fluxus per menagoga feliciter promovetur, quæ deobstruendi simul vi & sanguinis intemperiem corrigendi pollent. V. sectionem interdum etiam vasorum angustia tolerat, sed parcâ ubique quantitate. An in scarificationibus aut cucurbitulis magna spes, quam facere video nonnullos, posita sit, æquè dubito, nisi fortè ad reliquiarnm subcutanearum in fine evacuationem adhibere velis, unde partibus etiam tabefactis solatio esse possunt. Frictiones corporis decenter factæ motum etiam sanguinis excitare & juvare norunt. *Varandæus l. 1. de morb. mul. c. 2.* nihil constantius, ubi sanguinem vix mittere licuit, ad exhauriendam cacochymiam & menses sollicitandos observavit, quàm cauterii in utroque crure adustionem.

XII. Omnibus tamen palmam præripere videntur, quæ ex *pharmaceutico* armamentario petuntur præsidia, sanguinis acidi & coagulati correctioni, viscerum viarumque  
rese-

referationi & corroborationi profutura, & hæc quidem digerentia, incidentia, aperientia, communiter dicta, quæ & ia acida sylvestria in massa sanguinea prædominantia corrigunt, absorbent &  $\text{☉}$ ant, indeque oriundas obstructions expediunt; placentque imprimis hîc & ia alkalica tum fixa, tum volatilia: v. gr. & artemis. cichor. cent. min. absynth. frax. tamarisc. \* succin. vol. cochl. & fecul. ari, bryon.  $\text{☉}$ aperitiv. Penoti,  $\text{☉}$ \*ci, elix. itidem propr. cum elix. uterin. Crollii mistum, vel  $\text{☉}$ u \*ci. Præcipuè verò hîc extolluntur  $\text{♁}$ lia & tartarea; amicus enim juxta *Rollfincc. dissert. chem. 6. cap. 3.*  $\text{♀}$ i  $\text{♁}$ , magnum utero solatium promittit, eundem viscoso humore refertum expurgat, ad febres albas ex menstruorum retentione viscerumque obstructione obortas extinguendas, divinum planè remedium & singulare specificum. Sunt verò inter præparata  $\text{♁}$ lia, croc.  $\text{♁}$ aperitiv. de quo not. quod non nimis acidis sit præparandus, alias peregrino acido jam saturatus, & ia sylvestria in sanguine intacta relinquet: *Dn. D. Michaelis* crocum hunc paravit cum  $\text{☉}$ herbar. aperientium, de quo quid statuendum vid. *Colleg. Chemic. MSS. Excellentiss. D. Ettmülleri*, laudatur etiam magist.  $\text{♁}$ aperitiv. *Myns.* limatura & sacchar.  $\text{♁}$ claves mensium diuntur; tincturæ  $\text{♁}$ les; tinct.  $\text{♁}$ tartarifata, c. succ. cichor. &c. vinum chalybeatum *Senn. Myns. Reverius* pulvere cachect. *Q.* innumeras se mulieres tum virgines tum viduas curasse scribit *cent. 4. observ. 93.* tartar. vitriolatus & chalybeatus, cremor tartari. it. tinctura  $\text{♁}$  sicca seu flor.  $\text{♁}$  rubr. c. \*  $\text{☉}$ ati, tinct.  $\text{♁}$  tartarifata, non inter ultima stare debent: ex quibus pro lubitu formulæ fieri possunt. Si pulvis arrideat  $\text{℞}$ . cremor. tartar. croc.  $\text{♁}$ aper.  $\text{ā}$  ʒj. & artemis. cichor. frax. \*  $\text{ā}$  ʒʒ. fecul. bryon. ʒj. M. pro aliquot vicibus. *Poterius* unicò remediò citra molestiam tartarum concretum dissolvere, deobstruere, & humores pravos in bonos commutare novit, *cent. 1. observ. 30.* Qui Galenica magis amant, vina præcipuè medicata ex rad. aperient. H. artemis. mercur. major. salv. puleg. fol. sabin. matricar. calaminth. flor. hyperic. cheir. conficere possunt; instillando singulis dos. gtt. aliquot  $\text{☉}$  \*ci. vinò enim commodissimè seu plaustro convenienti dantur hæc medicamenta, estque

vinum secundum *Helmontium* nuncius, qui vias novit itineri accinctus, charus intimis & admissus ad penetralia. His digestivis per dies aliquot usurpatis subinde & per vices præparatos humores per alvum evacuantia interponi debent; optima hîc judicantur phlegmagoga dicta, ob sanguinis pituitositatem, & ratione formulæ vina iterum medicata ex data ratione præ aliis eliguntur: it. pulveres & spec. jalapp. c.  $\circ\circ$  sabin, pulv. laxat. vegetab. *Rollfincc.* additis tartareis,  $\Theta$  nis, &  $\circ\circ$  is. extr. panchymag. Crolli. pilul. tartareæ Q. aloëtic. marocostin. c. castor. &  $\text{♂}$  reformat. & similia conveniunt, quæ mitiora interdum etiam in principio non inutiliter præmittuntur, præsentibus indicantibus, materiæ conditione aut stabulo in primis viis id suadentibus; his neglectis fortioribusque incidentibus intempestivè mensium provocationi dum studuere duo Medici apud *Rondeletium*, alter mulierem, puellam alter in paralyfin conjecit. Dispositio ægræ nonnunquam ad vomitum faciendum invitatur, vel mitiori in initio, oxymelite diluto c. aq. tepidâ,  $\circ\circ$  oliv. amygd. d. jusculis pinguib. post, si opus, fortioribus;  $\Theta$  vitrioli,  $\text{♀}$  vit. tartar. emetic. laudat *Roder. à Fonseca lib. 1. consult. med. 6.* extr. diasar. Fernelii ad  $\text{z}\beta$ . egregium vomitoriorum experimentum *Ballonius l. c.* suppeditat in puella integrum sexennium malo hoc laborante, quæ omnibus aliis nec quicquam juvantibus solo vomitu spontaneo ad se & pristinam formæ gratiam rediit, sentinâ humorum variegatorum maximâ ejectâ: ita *Excell. D. Wedelius* menses vomitorio exhibito eodem fluxisse die expertus est. Iisdem medicamentis viæ etiam ab humorum infarctu obstructæ successive liberantur; ipsique utero & mensibus consulitur, laudemque inter alia præcipuè tinct.  $\text{♂}$  aperitiva, acidulæ naturales & artificiales merentur. *Z. Lusitanus pr. med. adm. l. 3. obs. xi.* omnibus aliis frustra adhibitis, laudat syrupum singularem ex sero & chalybe, præsertim in debilibus, quod post assumptionem hujus motus, qualis post aliorum martialium usum requiritur, necessarius non sit: utile tamen est sub finem superaddere sudorifera & diuretica ex *Fr. de le Boe. Sylvii l. 3. pr. m. c. 3.*  $\Theta$  vol. præprimis abundantia, ita enim

pene-

penetrabit facilius medicamento vis, ad extremos vasorum viarumque sinus. ☿ diaphor. Bezoard. ☿ale, ☿le, fl. ☿ r. c. \*co-  
 -nati: vel R. bez. ☿, ☿, ā ☿j magist. perlar. CC. ā gr. vj. Ci-  
 nab. nativ. Hung. ☉ar. fecul. bryon. ā ☿ß. M. pro 4. dof. Di-  
 ureticorum vices ex jam enumeratis pleraque subire possunt.  
 Mensium fluxus si contra votum nihilomin<sup>9</sup> immorigerus fue-  
 rit, emenagoga seu menses moventia desiderat, qualium se-  
 lectam copiam videre licet apud *Dn. D. de Berniz. annexo tra-*  
*ctatu. Ephemerid. Germ. ad annum 6. & 7.* inter alia verò lau-  
 dantur arcanum duplicatum *Mynsichti* in ☿a artemis. seu me-  
 lissæ datum, quod *Dn. D. Michaelis* sibi probatissimum ha-  
 buit summitat. marrub. in vino alb. per ☿ infusæ ac 3 ☿  
 epotæ pro arcano habetur; generosæ sunt pilulæ de myrrh.  
 croc. aloë. sabin. &c. paratæ. Prælaudatus *D. Mæbius* præ-  
 missis præmittendis solo caryophyllorum ☉ virginem supe-  
 rius dictam restituit in brodio carn. cum rad. petrosel. co-  
 ctæ. Externè indusiū flore muliebri recenti adhuc tinctum, pro-  
 batissimum habetur; fermentum enim sanguinis mumiale in-  
 terius uteri fermentum per symbolum excitare creditur. Præ-  
 ter hæc balnea & fots se commendant ex plantis emollien-  
 tibus & uterinis, horum autem ante ingressum commodè as-  
 sumitur Elix. propr. ad menses Michaelis. uterinum Crollii.  
 vel ☉ succin. c. ☉ cinam. mistum. balnea excipere suffimen-  
 ta possunt ex pomo colocynth. c. ☉ \* & tartaro prunis in-  
 jecto, & per instrumentum Glauberianum in uterum ductum,  
 vel lixiv. ex scoriis ☿ ☿alis. Facit huc quoque experi-  
 mentum *Sala* sub suis cautelis applicatum, qui helleborum  
 nigr. serico nodulo exceptum in forma pelli applicat. Si sym-  
 ptomatatum nonnullorum ratio etiam aliqua habenda  
 erit, quid factu opus sit, singulorum na-  
 tura monstrabit.

T A N T U M.

17  
The title of the manuscript is  
[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

T A M T U M

